Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26503
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quam longissime ab imperio pulsarum. ut ne nomen quidem eorum audiretur. atque ita in ultimos gallie
sinus navibus profecti armisque se adversus gallicam feritatem tuentes. massiliam condiderunt. et ex nomine
ducis nuncupaverunt. Hos varro trilingues esse ait. quod et grece loquantur et latine et gallice. Narbonam
et arelatum et pictavis coloni proprii condiderunt. Burdegali appellatam ferunt. quod burgos gallos primum colonos
habuerit. quibus antea cultoribus adimpleta est. Terraconam in hispania scipiones
construxerunt. ideo caput est terraconensis provincie. Afri sub hannibale mariti-
ma hispanie occupantes. cartaginem spartariam construxerunt. Que mox a ro-
manis capta et colonia facta. nomen etiam provincie dedit. Nunc autem a gothis sub-
versa. atque in desolationem redacta est. Saguntum greci ex insula iacincto profecti in
hispaniam condiderunt. quam afri postea bello imperitam deleverunt. Emeritam cesar
augustus edificavit. postquam lusitaniam et quasdam oceani insulas cepit. dans ei nomen
ab eo quod ibi milites veteranos constituisset. Nam emeriti dicuntur veterani. solutique
militia. Olisippona ab ulixe est condita. et nuncupata. quo loco sicut historiogra-
phi dicunt. celum a terra et maria disiunguntur a terris. Hispalim cesar iulius
condidit. quam ex suo nomine et rome urbis vocabulo iuliam romam nuncupavit.
Hispalo autem a situ cognominata est. eo quod in solo palustri suffixis
profundo palis locata sit. ne lubrico atque instabili fundamento caderet.
Gades oppidum a penis id est a getis conditum. qui etiam et cartaginem spartariam condi-
derunt. Septem oppidum a montibus septem. qui a similitudine fratres vocantur gaditta-
no imminent freto. Tingis civitatis ylixis antheus auctor est. quem
hercules fertur lucte certamine superatum interfecisse. Lix autem a lixo
flumine mauritanie nuncupata. ubi antea regia fuit. et sala.
quod immineat sale flumini. Cesarea mauritanie oppidum iuba
rex maurorum in honorem cesaris augusti condidit. quam ex eius nomine cesaream
appellavit. sicut herodes aliam cesaream in palestina. que nunc urbs est claris-
sima. Icosium cesariensis mauritanie oppidum. hercule illuc transe-
unte. viginti a comitatu eius discedentes construxerunt. Hanc ne quis
inposito a se nomine privatim gloriaretur. de condentium numero urbi icosio nomen
est datum. Cirine regina fuit libie. que ex suo nomine civitatem cire-
nen condidit. ex qua et libiam cirenensem vocavit. De publicis edificiis.

Civitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata. dicta
a civibus id est ab ipsis incolis urbis. Nam urbs ipsa menia sunt. Civitas autem Urbs.
non saxa. sed habitatores vocantur. Tres autem fuerunt societates. familiarum. urbium.
gentium. Urbs vocata ab orbe. quod antique civitates in orbe fie-
bant. vel ab orbe parte aratri quo muri designabantur. Unde est illud.
Optavitque locum regno et concludere sulco. Locus enim future civitatis.